

bent hoc pessimum animi, magna fortuna insolentes, ut iis, quos laeserunt, & oderunt, sit dulce illis dolorem reddere: At latum se praestare & oblivisci, quid actum sit contra se, ingentis animi est, & Regii. Quare & curae est ingentis, virorum ingenia, & egregias dotes vitiaque solerter introspicere, & ponderare, quantum cuiusque humeri ferre valeant. Impares succumbunt, & onus reipublicae sustentandum trahunt, secum in ruinam.

Fluitat in naufragium navis spoliata magistro. Sic & valida exercitus potentis robora impari ductore solvuntur. Ita & infirmo animo corpus infirmum. A capite enim salus in totum corpus derivatur. Tanti interest dare caput rebus. Sint ergo principes non ignavi, non socordes, non tumultuarie dent praesides & consiliarios; non uni permittant clavum regiminis, non penes unum sit cura totius regni, qui regno superbo insolescit. Videant, quo quisque sanguine natus, an dubio an periculoso, an suspecto. Non imbelles generant aquilas columbae. Vitiosa parentum indoles, vitiosam sobolem dabit, aut si non dabit suspectam, dabit metuendam, dabit semper per occultas fraudes signum suum. Meminerint ergo Reges, ut summa cura, quasi indagine facta delectus virorum, quos continua, & prospera majorum integrorum fama nobilitat, & commendat, habeatur. Meminerint praeterea non uni soli molem imperii tradendam. Intutum & plenum hoc opus periculis. Quid ille, ubi arcanorum omnium conscius, potentia validus, consiliis vaser, si Satyri instar omnia proditoriè simulet obsequia? Si vires paulatim ad se trahat? Si Principi jam metuendus? si secretas externorum principum tentet amicitias? jam hic gradus ad exitium. An non Tyberium omnium principum facile vaserimum Sejanus Aulae potens potensque Tyberii cui pares eum Tyberio statuae, imagines publicae, victimae, proxime deiecisset imperio, nisi Tyberius per dolosas suasque artes ancipite & sinuoso consilio, nil simile expectantem stravisset? Quis Severo acerrimi ingenii imperatore sollicitior? Hic tamen cum tanta esset prudentia à Plautiano, in quem Severus imperium inclinaverat una cum filiis proximum discrimen naufragii infeliciter adiit. Quid est Principem unius amore dementari? ab uno teneri? unius consilia quaque-versum sectari? tanta fiducia fortunae suae Plautianus dominabatur, ut Coelum potius ruiturum dixisses, quam plautianum à Severo aliquid damni pati posse. Quare & in circo erumpebant illae populi voces: quid tremis, quid palles, tu certe plus quidem quam tres possides. Severus scilicet, & duo filii. Adeo ne Principum in sui exitium ebrii & praeposteri amores? Accipe tragœdiam. Sejanus cum Plautiano ex alto cecidit. Quam facta strages, & quidem vacillante jam Imperatorum vita, nisi fortuna prohiberet. Quis Imperium evertit Romanum nisi unus Stilico, proditor Imperii? Hic aulae & regni armis & conubio potens, ut unum Eucherium filium purpura indueret, detectus proditor, se cum imperii ruina prostravit. Gottico hic & Arjano sanguine natus fidei simulator, suae gentis secretus Patronus & fautor. Quid antiqua commemorem? Orbis duo regna pulchra, Gallia & Hispania orbis oculi, folesque, quid non passi hujus mali inauspicato consilio? Mundo non sufficit unus. Salus reipublicae ubi consilia multa. Achitophel Davidi, Haman Asuero, Julianus in Hispaniis Roderico Regi, Rufinus Arcadio, Cardinalis Volsesus Henrico Octavo quam metuendus? Unica principum bonitas extulit hos nimium, ut altius ruerent. Nostri seculi turbines, & faces malorum praetermitto. Occasio

fiò